



DISPUTATIO INAUGURALIS

occasione

l. 16. in pr. D. de minorib.

REMEDIORUM,
QVÆ IN IURE CIVILI
DICUNTUR ORDINARIA, ET
extraordinaria, itemque horum

invicem concurrentiæ,
aliqualem delineationem exhibens,

Quam

In Nomine Domini nostri Jesu Christi,

Ex Decreto

Magnifici, Nobilis, & Amplissimi Jctorum

Ordinis in inçlytâ SALANâ,

SUB PRÆSIDIO

Speçtabilis, & Amplissimi VIRI

Dn. DOMINICI ARUMÆI

J. U. D. P. P. Splendidissimæ Facultatis Decani

ac Senioris, Judicii Provincialis ac Scabinatus
Jenensis Adfessoris.

Dn. Fautoris ac Præceptoris mei certissimi, colendissimi,

*Pro summo in utroq; Jure gradu, & eidem competentibus
privilegijs consequendis.*

Publico examini subjicio

ERNESTUS Zettebrock,


ULSA - SAXO.

Ad diem 18. April. Anno 1621.

J E N Æ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

4.



Magnifico

Strenuis ac Generosis Dominis

DN. ACHATIO von Zagow

Seniori, Eq. Marchic. Hereditario
in Wolosen/Scharpenhoffe/Dchtens
hagen/ & Kalberwisch/etc.

Dn. GEORGIO HILMARO, F.VVilh.

von der Wense / Eq. Lunenb. Hered. in Holdens
stedt & Dorffmarck/ etc.

Dominis meis Patronis ac Promotoribus

in

plurium beneficiorum, ac singularis benevo-
lentia, frequentissime exhibitæ, aliqualem re-
standam gratitudinem.

in

ulterioris favoris, ac demerenda pro-
motionis quaecumq, suscitabulum.

Experimentum hoc Doctore

Obseq. & Observ.
confecro

E. J. U. S.

Aut, & Resp.



PROLOQVIUM.

I.



Ompotentium Jurisciv. remediorum sedula investigatio, cum cuivis de *Jure responsuro*; cum cuivis qui *Jure dicundo* praest; cum cuivis *causarum Patrono*, licet propter difficultatem non adeo Jucunda, propter fructus tamen utilis, propter certissimam tamen, ac solitam, quam intermissio illius parere solet, *causarum Jacturam*, quod maximè necessaria sit, omnes semper saniores unanimiter applausere.

2. Docentibus idem, centenis in *Jure nostro civili* exemplis, quæ exhibent, & quomodo veteres *Jcti*, in *jure causarum* definiendo, imprimis ad *Genus actionis* respexerint; quæque competeret actio accuratè indagarint; & quomodo *Judices* cum aliâ actione in *Judicium* deductâ, eandem causam nunc *Justam*, nunc *injustam* censerent adverterent, quo sententiam proposito negotio aptam proferre valerent attentissimè semper ima motarum actionum penetralia introspererint; & denique, quomodo *causas acturi*, cognitâ ac perceptâ specie actionis, delicti, dispositionis resultantis ex facto proposito, intelligere ilico potuerint, *Juris* remedium, auxilium ad agendum, petendum, excipiendum.

3. Laboriosum vero accommodatorum remediorum perscrutatore, vel id saltè intricatius remorari videtur, quod cum de hoc vel illo negotio plura simul auxilia, illaque hujusmodi, quorum diversa natura, diversæ probationes, diversæ exceptiones, diversum durationis tempus, prodita reperiat, inde hæere

A 2

quasi

quasi possit, & quodnam tanquam tutius eligendum sibi sit, subsistere. Novit enim hoc, quod quoties concurrant plures actiones, ejusdem rei nomine, regulariter unâ experiendum sit; Novit item, quod ex reverâ concurrentibus una semper alteri tutior, ac tutioris electio conducibilior censeatur; Novit tandem quod ex non concurrentibus propriè, sed pro varietate circumstantiarum, tantum, circa idem negotium incidentibus, si inconveniens præfenti circumstantiæ eligatur, causâ cadere necessum sit.

4. Duo ergo anxiori percunctatori scrupulosa imprimis esse, hinc cõstat. Primum quidè, an, & qualia sint illa remedia, quæ concurrant in Jure nostro; & deinde an, quomodo, & quodnam, ex concurrentibus sit unum eligendum. De posteriore dubio, varii interpretes, variè, & satis prolixè differunt. Ex priori, illud rursus, vel insufficièter, vel ne vix quidem decisum reperitur, *nunquid aliquando, & quando, extraordinaria auxilia cum communi auxilio, & mero Jure concurrere queant?*

5. Rationem dubitandi, *Ulpianus* nobis præbuit his verbis: IN CAUSÆ COGNITIONE, ETIAM HOC VERSABITUR, NUM FORTÈ ALIA ACTIO POSSIT COMPETERE, CITRA IN INTEGRUM RESTITUTIONEM. NAM SI COMMUNI AUXILIO, ET MERO JURE MUNITUS SIT, NON DEBET EI TRIBUI EXTRAORDINARIUM AUXILIUM.

6. *Acti* verba (inprimis NON DEBET) si penitus introspiciantur, nihil restare videtur: nisi ut unanimiter conclament omnes, nihil unquam tale quid, in Jure nostro fieri posse; ut ordinaria cum extra ordinariis concurrant aliquando.

7. Unanimiter conclamandum esset, nisi exempla rursus in eodem nostro Jure extarent plurima, quæ & contrarium, apertissimè docerent, & ad oculum quasi illorum concursum exhiberent. Quid ergo tandem decidendum? vacillandum, ne perpetuo? Imo tentari posse videtur, nunquid ex sedula, quæ maximam partem occurrunt, (cum *Cicerone* enim, in simili, si quis pariter hæc velit, non erit ei vitiosum, in re infinitâ aliquid prætermittere,) extraordinariorum remediorum investigatione, illorumque ad certas classes reductione, distinctione, ac tandem ad ordinaria applicatione; Nunquid ex concurrentium actionum
modi

modis probè distinctis, certius quid quam quod vulgus, vel nullus *Interpretum* fecit hactenus, de toto negotio statui possit.

8. Quod si enim deducatur prius præcipua in Jure nostro extraordinaria qualia sint: item concurrentium actionum, modi quot extent, facilius fortè erit, non tantum ordinaria inter se, sed & extraordinaria, cum ordinariis, vel extraordinaria inter se, an & quando concurrant, decidere.

9. *Ulpianus*, in suo textu EXTRAORDINARIUM AUXILIUM duobus imprimis opponit, COMMUNI scilicet AUXILIO, & MERO JURI: Utrique præsentis rei negotium potius, & naturam respicienti, quam solemnitatem Judiciale, seu ritum procedendi attendenti, h. e. agitur in *Ulpiani* hoc textu, de oppositione remediorum EX PROPRIÂ NATURÂ, NON EX FORMULIS AGENDI antiquitus usitatis.

10. Harum tamen formularum respectu, quia frequentissima in Jure nostro, extraordinariorum Judiciorum fit mentio, illorumque cum ordinariis oppositio non rara; quo distinctius omnia proponantur, brevissimis formularum origo & ritus, si ex historiâ Juris Romani deduceretur, non certè abs re futurum esset. Præsertim ne se confundat quis in sequentibus, commiscendo passim, ipsa extraordinaria cum extraordinariis. Et præterea, secundum Obrechtum res hæc, aliâs, uberrima sit, rerum utilitate, literatissimâ formularum vetustate, & quæstionum varietate copiosissimâ.

SECTIO I.

De extraordinariis Jurisciv. remediis ratione formularum.

I.

ANtequam vero ad ipsas FORMULAS accessus fiat, notandum id erit, quod judiciorum Romanorum varietas, ac diversus procedendi modus, ad tria ferè tempora reduci possit, scilicet ad MANUS REGIÆ & quæ illam imitata sunt: ad FORMULARUM VIGENTIUM; ad FORMULARUM SUBLATARUM.

A 3

MANU

Primum
tempus.

2. MANU REGIÀ initio Reip. omnia administrata fue-
re, cum populo nullis certis legibus vivente, arbitria Principum,
pro legibus essent. Et licet quædam legibus, ab Imperatoribus
sancitis, compræhenderentur: ea tamen, cum paucula; reliqua
nihilominus manui regie subjecta fuere: cum indigesta; &
sine ordine; à *Papirio Pontifice* in unum collecta, JUS CIVILE
PAPIRIANUM, appellata sunt.

3. Imperio vero à Regibus, circa annum V. C. 244. ad *Con-
sulum* MAGISTRATUM ANNUM translato, inter cætera regia
officia, juris quoque cognitio ad eos translata est. Donec per *Tri-
bunorum* seditionem, ortam primum Anno V. C. 276. posteaque,
Anno 293. continuatam vehementius, labascente *Consulum* quo-
que autoritate apud *Populum*, is in CERTO magis JURE, quam
per LATAM LEGEM, ac CONSULUM IMPERIUM, viginti
propè annis ali passus sit.

4. Posthæc, ne populus Romanus diutius INCERTO JU-
RE uteretur, cum modestius *Tribuni* cum *Patritijs* agerent, *Romilij*
consilio, comprobante id *Siccio Tribuno*, communi *Patritiorum* ac
Plebis suffragio tres *Legati*, legum à *Græcis* perendarum causâ
creati sunt *Sp. Posthumius*: *Serv. Sulpitius*: *A. Manlius*; idque anno
V. C. 300. *Legatis* his tertio anno reversis; populo vero leges allat-
tas, post ponderosam illarum considerationem, approbante, *De-
cemviri* aliarum quoque necessariarum adhuc, legum ferenda-
rum causâ electi sunt. Hi leges conscriptas, tum ex *Græcorum* Ju-
re, tum ex suis *moribus* non scriptis in DECEM TABULIS, cui-
bet cognoscendas proposuerunt. Anno sequente animadverten-
tes *Decemviri* deesse aliquid primis legibus, alias duas ad easdem
tabulas adjecerunt. Et ita ex accidente appellatæ sunt LEGES
DUODECIM TABULARUM.

Secundum
tempus.

5. Interim coepit, ut naturaliter evenire solet, ut inter-
prætatio illarum desideraret, *Prudentium* autoritate, necessariam
esse disputationem fori. Quæ disputatio, cum laxiorem & libe-
riorem potestatem agendi populo faceret, ex iisdem LEGIBUS
DUODECIM TABULARUM, postea à summis ac prudentibus vi-
ris, ACTIONES compositæ sunt: hasque ne populus prout vellet
intenderet, CERTAS SOLEMNESQUE esse voluerunt. Et ap-
pellata

pellatâ fuit hæc pars Juris, LĒGIS ACTIONES, id est, *legitimæ actiones*, certis *formulis* compræhensæ.

6. His continebatur quomodo in judiciis cavendum, quomodoque etiam, & quando agendum esset. Et ne facilis res esse videretur, NOTULIS & interpunctionibus quibusdam, legum FORMULARUMQUE *syllabas*, *voces ac literas* occuparunt *Prudentes* atque ita occultarunt ne populo, nisi per illos innotescere possent. Pœnâ itidem adjectâ, ut qui vel *syllabâ* cecidisset, causâ caderet. Quo factum, ut vix quispiam sine causæ periculo experiretur. Et quò major tanti calliditati, daretur autoritas, religionis metus injecta fuit, penes *Collegium Pontificum*, statim post remotos *Decemviros* interpretandi potestate relictâ. Ex *collegio* vero *Pontificum* eligebatur unus omnibus annis, qui præerat privatis & JUDICIA DABAT.

7. Deinde, cum centum ferè annis populus hac consuetudine usus esset, *Appius* tamen *Claudius* aliquando proposuerat, & ad formam redegerat has actiones; *Cneus Flavius* Scriba ejus, subreptum librum formularum populo tradidit. Munus vero adeo gratum, ut *Tribunus plebis* fieret, & *Senator* & *Ædilis curulis*, Hic liber qui actiones continebat, appellabatur JUS CIV. FLAVIANUM.

8. Nec multo post, augescente civitate, quia deerant quædam agendi genera, *Sextus Ælius*, alias ACTIONES composuit, eaque populo exhibitæ, JUS ÆLIANUM appellatæ sunt.

9. His mediis etsi populo succursum quasi videbatur; etsi formulas nosce; dies fastos ac nefastos decernere posse videntur. Novæ tamen NOTE à *Jureconsultis* conscriptæ sunt, quibus rursus intricarentur simpliciores, & errantes facilè causâ cadere possent.

10. Post aliquod tempus, & Reip. vicissitudines, cum, *Pontifices* interim functione suâ, ad avaritiam, & ambitionem usque abusi diu essent, res tandem ad *Consules* reversa est. Qui rursus, cum avocarentur bellis finitimis, neque esset, qui in Civitate JUS diceret, *Prætores* creati sunt, ut JUS REDDERENT.

11. Hæc igitur FORMULARUM PRÆSCRIPTIO tandem

dem ad *Pratorem* devenit, qui & FORMULAM AGENDI, & JUDICEM dedit, qualis, vel *pedaneus*, vel *datus*, vel *arbiter*, vel *recuperator*, vel alio modo appellatus legitur. Cum enim ipse, gravissimis sæpe causis occupatus esset, (Hæc de *Pratore* de quovis intelligenda qui *generali Pratoris nomine* venit) totusque versaretur, in Jure reddendo, leviores causæ ab ipso demandandæ fuere cum formulâ. Idque sequente circiter modo procedendo.

12. Primum, in JUS VOCABATUR reus, hoc est, ad eum vocabatur qui Jus dicturus erat. Quod si vocati protinus, ac ilico non sequebantur, testimonium iis qui præsto erant denunciabatur, his verbis, LICET ATTESTARI? id est, licetne vobis testibus ad hanc rem uti? si respondebant licet; aurem in quâ memoriæ sedem veteres collocabant, porrigebant, quâ leviter tactâ, atque appræhensâ, monebantur rei gestæ memores esse. Quo facto, licebat tum adversarium, si non satisdabat, IN JUS RAPERE INVITUM, obtortoque collo, ad *Pratoris* tribunal trahere.

13. UBI IN JUS VENTUM erat, interdum à *Pratore*, *advocati* postulabantur. ACTOR impetratâ loquendi potestate, ACTIONEM reo EDEBAT, quâ adversus eum uti vellet, quo scire posset reus, utrum contendendum, an cedendum esset. Et si contendendum putaret, instructus veniret.

14. Editâ actione, POSTULABAT præterea, agendi potestatem, FORMULAM, & JUDICEM arbitrumve dari.

15. REUS contra EXCEPTIONES suas, quibus Jus adversarii depulsurus erat, in medium afferrebat; atque ita formam quasi futuri Judicii constituebatur.

16. Idque ferè fiebat in hunc modum. Nam aut IN REM agebatur, aut IN PERSONAM.

17. IN REM, cum agebatur, postquam utroque litigantium præfente, ACTOR in Jure apud *Pratorem* REM SUAM ESSE, ET SIBI RESTITUI OPORTERE asseruisset formam accipiebat ejusmodi. *Octavius Judex esto, si pateret fundum Capenatum: P. Servilij esse, neq; is fundus ei à Sempronio restituatur, tunc Sempronius damnetur.* Quod si in litis contestatione coram *Pratore*

tore REUS EXCEPERAT *suffultus' prescriptione*, addebatur: Si non decennio possedit Sempronius bona fide. Idque tam de mobili re, quam soli obtinebat.

18. IN PERSONAM cum agebatur, postquam accepta ab advocatis suis formulâ. (Duæ ergo fuerunt formularum genera, altera, quibus utebatur coram Prætoribus, altera, quæ nobis imperiebantur à Prætoribus, utendæ apud Judicem datum) ACTOR Prætoribus ita allocutus esset. *Ajo, Sejum decem aureos ex hujusmodi causa mihi dare oportere* REUS excipere solebat, si non fecit mihi, *Sejus pactum de non petendo*. Hinc Prætor formulam dabat, vel puram, vel cum exceptione. Puram, si vel reus adversus petentem nihil opposuerat, vel exceptio de jure improbaretur; ut, *Si paret Titium decem Sejo ex stipulatu dare oportere, Cajus Judex esto*. Cum exceptione, si reus exceperat, ubi addebatur. *Si non fecit Sejus pactum de non petendo*. Et hæc formula cum exceptione tantum in iis in personam actionibus obtinebat, quæ STRICTI JURIS erant. Nam in BONÆ FIDE JUDICIIS nullum dabatur cum exceptione iudicium à Prætoribus; nec opus erat reum contestari illam apud Prætoribus, sed sufficiebat apud Judicem datum. Formula Prætoribus in bonæ fide judiciis talis erat. *Si paret Titium ex vendito, Sejo dare oportere, Cajus EX BONA FIDE condemnato*. Hoc casu iudex datus exceptiones quasvis admittebat, bonæ fide rationem habens (quamvis in jure apud Prætoribus, exceptio nulla contestata fuisset) ex illaque æstimans quantum, alterum alteri præstare, oporteat ex bonâ fide.

19. ARBITRARIARUM ACTIONUM formula, talis fuit. *Si paret Lucium Titium, per metum, rem de qua agitur, Sempronio abstulisse, neque eam rem arbitrio tuo restituat, eum tu in quadruplum condemnato*.

20. REI UXORIÆ ACTIONIS formulam talem fuisse apparet. *Si æquius melius esse existimaveris eum fundum, Seje reddidi, Titium condemna iudex*.

21. Quando vero enarratum ab actore negotium, neque ad contractum, aut aliud factum nominatum, ac receptum in iudicium, à Prætoribus referri poterat, tum formula præscriptis verbis

B rem

rem gestam declarans, à Pratore dabatur: illaque ACTIONIS IN FACTUM dicebatur.

22. Et vero, præter has civilium actionum formulas, *Præto-rem* quoque quasdam, consequentes suæ Jurisdictionis Edicta dedit, docere poterunt formulæ solemnes INTERDICTORUM, formulæ BONORUM POSSESSIONUM, omniaque illa loca, quibus *Prætor*, vel *actionem* nominatam, vel in factum, ex edicto suo pollicetur.

23. INTERDICTORUM formulæ quales fuerint, constat id ferè, ex singulis libri quadragesimi tertij *Digestorum* titulis, docentibus, Formulam INTERDICTI UTI POSSIDETIS, talem fuisse. *Uti nunc possidetis eum fundum quo de agitur, quod nec vi nec clam nec precario alter ab altero possidetis, ita possideatis, adversus eum vim fieri veto.* INTERDICTI DE LIBERIS EXHIBENDIS. *Qui quæve in potestate Lucij Titij est, si is eam apud te Cajum est, dolove malo factum est, quo minus apud te esset, ita eum eamve exhibeas.* Præter hujusmodi ex dicto libro quadragesimo tertio formulas, etiam aliæ passim in pandectis nostris reperiuntur, utpote INTERDICTI DE MORTUO INFERENDO. *Quo, quæve Lucio Titio mortuum inferre, invito te Cajo jus est: quo minus Lucio Titio eamve mortuum inferre, & ibi sepelire liceat, vim fieri veto.* & similes. Et hæc rursus exemplo actionum stricti juris vel *cum exceptione*, vel *sine exceptione*.

24. Impetratâ hujusmodi à *Pratore* Interdicti formulâ, profuit ilico talis, vel ad prohibitionem, vel ad restitutionem, vel ad exhibitionem. Quibus peractis, postea ex causis interdictorum, *Prætor* compellatus, vel *utilem actionem* reddidit, vel etiam EXTRAORDINARIAM IN FACTUM actionem quæ pro Interdictis competiit.

25. Neque præterea dubium, in BONORUM POSSESSIONE dandâ *Præto-rem* pronunciasse. *Bonorum possessionem* do. Unde postea hujusmodi, bonorum possessione acceptâ, impetrans illam jus habebat, persequendi retinendique Patrimonii, sive rei quæ cujusque, cum moritur fuerat.

26. De reliquis, vel NOMINATIS, vel IN FACTUM PRÆTORIIS actionibus, in Edicto pollicitis, verosimile est *Præto-rem*

rem similiter, quemadmodum in civilibus, formulas dedisse, quarum serie, & tenore in judiciis experiretur, ne judicia sua, quæ tam æqua habebantur apud omnes (ut ex plurimis *Ulpiani* legibus ad *Edictum* apparet) confusa essent, quæ tamen maximè ordinaria & solemnia esse conveniebat.

27. Solemni quoq; formulâ credendum est exerceri solita hujusmodi negotia, quæ VOLUNTARIÆ JURISDICTIONIS seu LEGIS ACTIONES, in specie sic dictæ, appellantur, & in verbis, *Do, Dico, Addico*, versari dicuntur. Quales sunt, TUTORIS DATIO, PRÆDIORUM MINORUM ALIENATIO, ADOPTIO, EMANCIPATIO, MANUMISSIO.

28. Per hanc E. formularum adhibitionem cum procederetur, ORDINARIÆ id fieri dicebatur, & Partes formulam à *Pratore* petentes IN JURE VERSARI: (Quod tamen nõ semper observatur) post acceptam formulam JUDICIUM ACCIPERE, vel suscipere, & deinde in JUDICIO VERSARI dicebantur. Ubi verò hujusmodi formularum impetratio non attendebatur, h. e. ubi neque civilium nominatarum, vel in nominatarum, neque Interdictorum, neque Bonorum possessionum, aut aliarum in factum, vel nominatarum Prætoriarum actionum, vel similium formulæ petebantur; sed quædam ab ipso *Pratore*, vel ULTRO, vel præcedente imploratione statim expedirentur, sine tali solemnii judiciorum ordine, illa EXTRA ORDINEM per cognitionem fieri dicebantur. Eaque erant talia negotia, quæ vel per naturam suam, aliter expediri non poterant, utpote COGNITIONES EXTRA ORDINARIÆ & similes; vel potuissent quidè expediri ordinariè, tutius tamen extra ordinem expediebantur; qualia sunt illa, ubi cum ordinariis civilibus aut Prætoriiis remediis, possunt concurrere officium judicis & simile quid.

29. Harum formularum tempore, floruerunt in judiciis fecundissimi *Oratores*, *Patroni* disertissimi, *legulei* cauti & acuti, *precones actionum*, *cantores formularum*, & *aucupes syllabarum*, quibus anxie imprimis curæ fuit, ne forma agendi omitteretur, ne formulâ, ne syllabâ quis caderet, interim tamen meticulosioribus aliquando EXTRA ORDINEM fuit jus dictum; Donec tandem per *Constantinum* juris formulæ radicitus amputarentur,

per Theodosium & Valentinianum omnis exceptio non impetrata actionis removeretur, & tandem per Justinianum utriusque constitutio approbata, suo Codici inferetur, variisque in locis hinc inde solennitates Legis actionum & alie abrogarentur.

30. HODIE ergo sublato penitus formularum impetrandarum ritu, ac usu, ratione solennitatis hujus QVOAD FORMULAS, OMNIA QVOQUE JUDICIA EXTRAORDINARIA ESSE COEPERUNT.

SECTIO II.

De ordinariis Jurisciv. remediis propriè sic dictis, h. e. legis actionibus.

I.

Quando vero remedia juris, ex propriâ naturâ, quâ, quoad rem probandam, quoad exceptiones, quoad durationis tempus, & reliqua ab invicem distinguuntur, æstimare tentaverimus, advertemus certè & hodie EXTRAORDINARIA ab ORDINARIIS discerni debere, & discerni.

2. Nos quoque in præsentè hâc delineatione brevibus illa delibaturi, remedia juris dividi non incommodè posse putamus in ORDINARIA propriè sic dicta, & EXTRAORDINARIA in genere. Ita ut ORDINARIA REMEDIA sint hoc loco nobis vel impropriè sic dicta, vel propriè. Remedia impropriè sic dicta, sunt remedia nullitatis, quando ipso jure tuti sumus, adeo ut nec agere ex tali actu nec conveniri possimus. Dicitur idem *jus merum*. Et hinc qui ipso jure tutus erat, adversus illum Prætor actiones denegabat. Nec habebat reus opus excipere, si de nullitate Prætori ex narratione constaret; sin secus narratum esset, negabatur narratio. Nisi & hanc negationem quis malit exceptionem dicere. Quæ tamen exceptioni propriè sic dictæ, merito opponitur: indeq; ipso jure & per exceptionem alicui subveniri sunt diversa: Remedia civilia. ORDINARIA propriè sic dicta, sunt quæ ex II. duodecim tabularum, Disputatione fori, Plebiscitis, Senatus-consultis, & principum constitutionibus, de certis negotiis introducta. EXTRAORDINARIA vero sunt omnia reliqua.

3. ORDINARIA rursus, vel ad VOLUNTARIAM JURISDI-

RISDICTIONEM, vel ad CONTENTIOSAM referri possunt.
Ea quæ ad VOLUNTARIAM JURISDICTIONEM pertinent, &
LEGIS ACTIONES *in specie sic dictæ* appellantur, relata sunt. *supr.*
sect. 1. th. 21. CONTENTIOSAM JURISDICTIONEM respicien-
tia, sunt, vel IN REM, vel IN PERSONAM.

4. IN REM rursus sunt, vel REVERA TALES, vel QVÆ
VIDENTUR TALES. IN REM PROPRIE sic dictæ sunt. *Heredi-
tatis petitio, Rei vindicatio, Confessoria, Negatoria.* Illa quæ VIDE-
TUR IN REM, est *præjudicialis de libertate.*

5. IN PERSONAM quæ sunt, oriuntur vel ex CON-
TRACTU nostro, vel ex DELICTO, vel ex NECESSITATE.
CONTRACTUS sunt, vel VERI, vel QVASI. VERI vel RE, vel
VERBIS, vel CONSENSU perficiuntur.

6. RE perficiuntur, MUTUUM, COMMODATUM, DE-
POSITUM, PIGNUS. MUTUUM est, vel VERUM, vel QVASI
MUTUUM. Ex verò MUTUO oritur *Condictio si certum putatur,*
quæ etiam *actio* dicitur *mutui.* QVASI MUTUUM, vel SPECIA-
LEM, vel GENERALEM causam habet; *specialis* causa in eo con-
sistit, quando ABEST NOBIS ALIQUID, vel OB CAUSAM, vel
SINE CAUSA, vel PER FURTUM CONVENIENDI. EX CAU-
SA HONESTA datur *Condictio causâ datâ, causâ non secutâ.*
Ex TURPI, datur *Condictio ob turpem causam.* Ex INJU-
STA *Condictio ob injustam causam.* SINE CAUSA quando
ex solutione nostra aliquid ad aliquem pervenit, nascitur inde
Condictio indebiti. Quando alio modo *Condictio sine causa.* PER
FURTUM CONVENIENDI, quod pervenit, inde *Condictio furti-
vâ.* GENERALIS CAUSA dicitur, vel ratione INTRODUCTI-
ONIS, vel ratione REI QVÆ PETITUR. PRIORI CASU quan-
do obligatio lege nova introducitur, nec cavetur eadem lege quo
genere actionis experiamur, *Condictio inde ex lege* descendit. Ha-
rum *condictionum* species sunt, vel *peculiares,* vel *naturam* quasi
aliam condictionum sapiunt. *Peculiares* sunt, vel EX PACTO,
vel EX CONTRACTU, vel EX DELICTO. EX PACTO vi-
dentur, *Condictio* adversus illum qui arbitrio juramento obfirma-
to non steterit. *Condictio* adversus illum cujus promissio usurarum
argentario facta in stipulationem non deducta. *Condictio* ex dona-
-tionem.

atione. Ex CONTRACTU sunt, *Conditio* ex Scripturâ sive Chyrographo; *Conditio* ex contractu emphiteutico; *Conditio* ex emptione coacta; *Conditio* per quam fisci debitor, debitorem suum ante tempus, cum effectu potest convenire. Ex DELICTO est, *Conditio* in triplum vel quadruplum, adversus viatores lirim, nimium exigentes; *Conditio* in duplum, competēs creditoribus, seu legatariis, adversus heredem, qui minus in inventario scripsit. *Conditio* in duplum, adversus illum, qui dolo malo negavit Chyrographum. *Conditiones ex lege* aliarum conditionum naturam sapientes, sunt, vel instar *Conditionis sine causa*. Tales sunt, *Conditio* ad supplementum legitimæ. *Conditio* propter jus Patronatus in servo dotali manumisso. *Conditio* competens cuivis ex populo, adversus eum, qui in legato ad pias causas solvendo cessat. *Conditio*, cum donationis modus ex lege Cincia exceditur. Vel instar *condictionis indebiti*, quales sunt. *Conditio*, quæ datur putativo heredi solventi ^{ex alio herede} ~~heredi~~ ^{hereditariis}, adversus illum, qui postea obtinuit in hereditatis petitione. *Conditio* quæ datur anterioribus creditoribus, contra posteriores, quibus heredes solverint. *Conditio* adversus illos, qui quod in alea lusu victum, retinent. COMMODATUM, parit actionem *commodati directam & contrariam*. DEPOSITUM, *depositi directam & contrariam*. PIGNUS, *pignoratitiam directam & contrariam*.

7. VERBIS perficitur stipulatio; quæ vel VERA, vel FICTA: Ex VERâ proficiscitur *actio ex stipulatu*, quæ vel *conditio certi*, si certum stipulati sumus, vel *incerti*, si incertum. Ex FICTA, descendit *actio ex stipulatu*, in locum *Rei uxoriae actionis*.

8. EX CONSENSU veniunt, EMPTIO & VENDITIO, unde *actio empti*, *actio venditi*, LOCATIO CONDUCTIO, unde *actio locati*, *conducti*. SOCIETAS, unde *actio pro socio utring*, *directa*, MANDATUM, unde *actio mandati*, *directa & contraria*.

9. QVASI CONTRACTUS sunt TUTELA, unde *actio tutelæ directæ & contraria*. Item *actio de rationibus distrabendis*. REI COMMUNIO, hinc *judicium communi dividundo*, *judicium finium regundorum*. HEREDITATIS COMMUNIO, de qua *judicium familiæ herciscundæ*, ADITIO HEREDITATIS, unde *actio ex testamento*. JUDICIUM, quod parit *actionem judicati*.

10. Actio-

10. Actiones IN PERSONAM EX MALEFICIO, sunt EX FURTO, DAMNO, INJURIA. EX FURTO descendunt, *actio furti, arborum furtim casarum, de tigno juncto, Rerum amotarum.* DE DAMNO prodita est *actio legis Aquilia, de pastu pecoris, aqua pluvia arcendæ.* Propter INJURIAM, *actio injuriarum.*

11. Actio IN PERSONAM EX NECESSITATE, est *actio ad exhibendum* id, quod sumus vindicaturi.

12. Hæc ORDINARIA, dicuntur legitima, civilia, aliquando vulgaria, usitata. Reliqua quæ præter hæc sunt, omnia EXTRAORDINARIA dicuntur.

SECTIO III.

De extraordinariis remediis, in relatione Juris civilis, ad Jus civile, id est, de Actionibus in factum, præscriptis verbis.

HÆC EXTRAORDINARIA, licet passim hinc inde in jure dispersa reperiantur, tentabimus tamen, numquid ad quatuor classes commodè referri possint. Ita ut quædam sint JURIS CIVILIS, quædam PRÆTORII, quædam SOLIUS ÆQUITATIS, quædam MANUS REGIÆ.

2. EXTRAORDINARIA JURIS CIVILIS, sunt, quæ quamvis sint civilia, non tamen sunt de negotio certo, proprium nomen habentia; indeque in FACTUM, PRÆSCRIPTIS VERBIS concipiuntur. Et hæc dantur, vel in SUBSIDIUM ACTIONUM CIVILIUM PERSONALIUM, vel REALIUM. In subsidium PERSONALIUM, quæ sunt, oriuntur, vel ex CONTRACTU, vel ex DELICTO, vel ex NECESSITATE, pro ut ipse civiles personales.

3. Ex CONTRACTU nascentes, sunt, vel ex VERO, vel ex QVASI CONTRACTU. Contractus VERI, vel ad TRACTATUM OB REM DATI pertinent, vel in NEGOTIUM CIVILE certi nominis actionem producens, incidunt.

4. TRACTATUS OB REM DATI, in his competit speciebus,
aut

aut enim DO TIBI UT DES, unde *actio in factum præscriptis verbis*, si res per permutationem ad me perveniens fuerit evicta; si præcium recuperare velim post factam redhibitionem: aut DO UT FACIAS, unde *actio præscriptis verbis in factum*, si rebus certa lege traditis pacto non pareatur: aut FACIO UT DES, aut FACIO UT FACIAS, unde *actio in factum præscriptis verbis*, cum transactionem me implente, alter cessat; cum animalia mutua fruenda alter perire passus; reliqua exempla poterunt videri apud *Justum Mejerum*.

5. Contractus veri, QUI IN NEGOTIUM CIVILE, CERTI NOMINIS ACTIONEM HABENS, INCIDUNT, sunt vel per PACTA à consuetudine cujuscunque contractus naturâ REFORMATI, vel aliàs CONTRACTUS recepti, propter peregrinam naturam tamen quam induunt VACILLARE coguntur.

6. PACTA hujusmodi contractum reformantia, sunt, in MUTUO quod æstimatum datur; quod datur ad hoc ut fœnus exerceatur, in DONATIONE conditionali, vel in quam ab altera parte sumtus facti, in COMMODATO quod precarium est, in PIGNORE sub hac conditione vendito, ut debitori solventi restituatur, vel quod Antichripsis est. In EMPTIONE de retrovendendo, ut res empta possit reddi; ut quid fiat; vel in conditionem suspensa. In SOCIETATE quo alter operam alter rem collocat lucro tamen æquali.

7. CONTRACTUS usitati VACILLANT, vel RATIONE PERSONARUM contrahentium, vel ratione IPSIUS NEGOTII quod contrahitur. Ex PERSONA vacillat negotium FILII FAMILIAS, ut ille ex eo agat vel conveniatur, nisi quando pater est absens, vel negotium sub potestate ceptum post emancipationem continuatum sit. Item negotium MATRIS contrahentis pro filia, nisi de restituenda dote; item negotium in SERVITUTE promittentis, nisi ex ipsa promissione liber factus sit.

8. Ex ipsius NEGOTII natura vacillat MUTUUM, in quo deficit absolutus consensus; DONATIO mortis causa, ante mortem, COMMODATUM mercede interveniente, vel ad rem inspiciendum. DEPOSITUM ad experiendum, CAUTIO necessaria per ignorantiam omissa, EMPTIO loci religiosi ignoranter facta,

facta, LOCATIO faciendi ubi pecunia non intervenit. SOCIETAS de cujus fundamento non constat, MANDATUM in quo mutuus deficit consensus, vel quod propriè non est mandatum.

9. QUASI CONTRACTUS item, vel per PACTA reformatur, vel sunt tantum quoad ANALOGIAM tales. Quasi contractus REFORMATI exemplum est in ADITIONE HEREDITATIS sub conditione permiffa. Quasi contractus ANALOGICI qui negotium civile certi nominis actionem producens imitantur oriuntur vel ex REI COMMUNIONE quando res communis extra causam Societatis deterioratur, vel de communionem dubitatur, ex HEREDITATIS COMMUNIONE fide evictione nihil cautum, ex ADITIONE HEREDITATIS conveniuntur heredes dolo possidere desinentis, vel ejus qui interdicto unde vi debebat conveniri, vel ejus qui operis novi nunciationi non paruit, item heredes voluntati defunctorum non parentes, vel ab heredibus vel ab extraneo. Ex JUDICIO quando compromissum est.

10. *Actiones in factum* descendentes ex DELICTO, rursus sunt vel ex VERO, vel ex QUASIDELICTO. VERUM item vel IN NEGOTIIS CIVILIBUS vel EXTRA ILLA attenditur.

11. IN NEGOTIIS CIVILIBUS Spectatur dolus, unde licet actio de dolo, cessat, tamen illa adversus parentes, adversus uxores & post biennium.

12. De maleficiis, EXTRA NEGOTIA CIVILIA, vel *Interdictis* experimur, vel *propriis actionibus*, ad malefium accommodatis. *Interdicto unde vi*, non experimur, adversus parentes, vel adversus heredes, vim facientis. *Propriam actione furti*, non experimur, constante matrimonio, adversus conjugem, de rebus amotis; item de re nobis debitâ, propriâ auctoritate metu periculi occupatâ. *Propriam actione legis Aquiliae*, non experimur, quando, non corpore, non corpori, vel alio modo, damnum datum. *Propriam actione, de pastu pecoris*, non experimur, quando, quis in suo fundo, glandes meas depascit.

C

EX

13. Ex QUASI DELICTO, tenetur Magistratus, malè iudicans, vel iusto tempore, caveri, non curans; quo, referrì posse videntur; quando absque dolo, quis fecit, ut pecora, in fures inciderent; quando quis, non furandi animo, sua pecora, in mea, generaturæ causa, cogit; alienas merces, suarum conservandarum causâ, in mare projicit; credi, sibi patitur, ignorans, alium commendatum; Chirographum alterius, pluribus præsentibus, legit; rem venalem, litigiosam faciens, venditionem impedit; facit, ut res mea, mea esse desinat; mortuum, in locum meum, inferre non passus est.

14. In locum, actionis personalis, ad exhibendum, EX NECESSITATE, constitutæ, datur actio, in factum, fructuario, adversus legatarium, adversus heredem, legatam rem, sine dolo malo, non desinentem, possidere; vel propter interesse, aut alias circumstantias.

15. In subsidium ACTIONUM REALIUM, actiones in factum, dantur heredibus, ad Falcidiæ partem, à filiis, ex stipulatu cum viro, cui mater dotem restitui jusserat, agentibus, ex dote consequendam: item, pro vindicandis rebus religiosis, etiam si immutatæ sunt.

18. Ex enumeratis his negotiis, Actiones in factum, præscriptis verbis, descendentes, EXTRAORDINARIÆ sunt, respectu civilium legitimorum; indeque etiam, civiles negantur. ORDINARIÆ vero, eadem sunt, respectu reliquorum extraordinariorum; indeque etiam illis, tanquam remedia ordinaria, cum sint civilia, sæpissimè opponuntur.

SECTIO

SECTIO IV.

De extraordinariis pratoris, ex Edicto Pratoris, officium suum promittente, descendantibus.

I.

VIGIS EXTRAORDINARIIS CIVILIBUS, quæ ita dicuntur, in relatione juris civilis, ad jus civile, sequuntur EXTRAORDINARIA PRÆTORIA, quæ Prætor: (vel alius magistratus, qui generali Prætoris nomine venit) vel edicit, vel decernit.

2. EDICENDO promittit Prætor, vel Officium suum, vel Actiones. Officium Prætoris, in Edictis promissum, apparet in Cautionibus, Missionibus in possessionem, Bonorum possessione, & Restitutione in integrum.

3. Cautiones prætoricæ, sunt judiciales, vel cautionales. Judicialis est, Cautio judicatum solvi, & ex operis novi nuntiatione. Cautionales, quædam enumerantur ab Ulpiano, quædam his annumerandæ videntur; ab Ulpiano enumeratur, Cautio de legatis, præstanda ab heredibus, legatariis, vel à legatariis heredi; Cautio de tutelis; rem pupilli, vel adolescentis, salvam fore, Cautio damni infecti, & generalis, quando de quovis opere damnum speratur; & specialis, propter Cloacas; Ulpiani annumerandæ, Cautio usufructuaria, & quæ præstatur, ab utraque parte, in redhibitione, ex edictio Edicto. Communis est, Cautio iudicio sisti, quam tenetur præstare in jus vocatus, qui statim non vult ire.

4. Missiones in possessionem, fiunt, ex quatuor causis. 1. Rei servandæ causâ, quando quis, mittitur in possessionem bonorum, latitantis debitoris; vel, quando non redditâ pecuniâ, ex conventionis lege, autoritate Prætoris, pignoris possessionem, quis adipiscitur 2. Legatorum servandorum gratiâ, si Cautio Legatorio non præstetur 3. Ventris nomine, quando par-

tus, heres speratur. Quo etiam, referri fortè poterunt, *Missio in possessionem ex Carboniano Edicto*, quando, de statu heredis, dubitatur. (*Justinianeam, item ad exemplum Prætoriarum introductam, hoc loco tangere liceat;*) 4. *Damni infecti*, si Cautio non sit præstita.

5. *Bonorum possessionem*, promittit Prætor, vel ex ACTU INTER VIVOS, vel MORTIS CAUSA; EX ACTU INTER VIVOS, possidere jubet bona debitoris, qui non attento eo, quod creditor in bona eius missus sit, nihilominus cessare pergit. MORTIS CAUSA PRÆTOR *Bonorum possessionem dat*, vel in causâ TESTATI, vel INTESTATI. *Bonorum possessio*, ex causâ TESTATI, est regularis, exemplaris, Patronorum, Regularis, datur, vel CONTRA TABULAS, vel SECUNDUM TABULAS. CONTRA TABULAS, *ordinariam Bonorum possessionem*, largitur Prætor personis, de jure civili jurè præteritis, quas tamen, æquitas prætorica, admittendas ad successionem putavit. CONTRA TABULAS, *extraordinaria*, datur illi, qui de inofficioso acturus est. *Bonorum possessio SECUNDUM TABULAS*, competit omnibus, qui jure, scripti ac nominati sunt heredes, *Bonorum possessio exemplaris*, CONTRA TABULAS, datur parentibus emancipantibus. *Bonorum possessio, exemplaris*, SECUNDUM TABULAS, datur ex testamento militis imperfecto. *Bonorum possessio Patronorum*, competit Patronis. *Bonorum possessio*, ex causa INTESTATI, est, vel ORDINARIA iterum, vel EXTRAORDINARIA. EX ORDINARIA, admittuntur, primum, LIBERI, etiam ADOPTIVI, & EMANCIPATI: *d. inde LEGITIMI* hoc est, ij, quibus legitima potest deferri hereditas, qui à Patre, per masculos cognati sunt: tandem COGNATI scilicet, per foeminas nobis conjuncti; ac demq, CONJUGES. *Extraordinaria ab intestato*, datur heredibus militis, ex militari delicto, capitis damnati: & omnibus reliquis, qui ex legibus, SCIS, constitutionibus Principum, ex novo jure, vel ex testamento, vel ab intestato veniunt.

6. Sub titulo de *in integrum restitutionibus*, plurifariam, Prætor hominibus vel lapsis, vel circumscriptis, subvenit; sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia, inciderint in captionem, sive per status

per status mutationem, aut alienationem Judicij mutandi causa factam,
aut justum errorem. Hæc vero causæ restitutionum, cum variè
operentur, & ferè in singulis diversimodè, sigillatim quæque erit
consideranda.

7. 1. Per metum, qui damnum dat, & de jure probatus est,
ab alio compulsos, ut vel paterentur aliquid, vel agerent; scilicet
se OBLIGANDO, aliquid TRADENDO, OBLIGATIONEM, vel ALIUD
ALIQUOD JUS, AMITTENDO; restituit Prætor, ita, ut qui ex metu
PATIENDO, damnum incurrunt, Edictum locum faciunt: Ipsa OBLI-
GATIO, EX CONTRACTU STRICTI Juris, rata non habeatur; sed ad
Edictum pertineat, ut, vel acceptum feratur, vel recusans, in quadru-
plum condemnetur: itemque ex eadem conventis, datur exceptio me-
tus. OBLIGATIO vero EX CONTRACTU BONÆF. itidem, rata non
habeatur, infirmetur, irrita sit, res suæ æquitati restituatur; ex
QUASI CONTRACTU OBLIGATUS, restituatur, recepto jure pristino.
Quod si RES TRADITA sit, ea restituatur, in pristinum statum re-
volvatur, reddatur, & de dolo repromittatur, deturque in rem actio,
Quod si OBLIGATIO fortè per acceptilationem AMISSA sit, datur
in rem actio, & in personam, recisâ acceptilatione. Jure ALIQUO
ADQUIRENDO AMISSO, utiles actiones dantur, aut actio quod metus
causa præstatur. Jure ADQUISITIO RURSUS PERDITO, id ad restituo-
tionem hujus edicti similiter porrigitur.

9. 2. Doli ignarum, si OBLIGATUS est per dolum, vel REM
TRADIDIT, vel OBLIGATIONEM AMISIT, vel aliud aliquod in-
genere DAMNUM PASSUS EST, restituit Prætor. Idque in
CONTRACTIBVS BONÆFIDEI, adversus OBLIGATUM,
actionem denegando, in CONTRACTIBVS STRICTI JURIS exce-
ptionem doli largiendo; Aliquando etiam, adversus tertium, dolo
inducentem, actio de dolo conceditur. Si TRADITA RES fuerit,
in vel ex CONTRACTIBVS BONÆFIDEI, VEL QUASI
CONTRACTIBVS, decepto, adversus ipsum contrahentem
dolosum, datur actio, ex illo contractu; adversus tertium dolum
committentem, Prætor actionem de dolo largitur; quemadmodum
& contra illum, qui commendat potius res, quam dolosè men-
diando,

tiendo, asserit alias. Si vero TRADITIO facta, in, vel ex CONTRACTU STRICTI JURIS, dolo adhibito ab ipso contrahente, is, actione *de dolo* tenetur; à tertio, idem, eadem subicitur. Quod si vero OBLIGATIONEM AMISIT, adversus illum, qui dolo ut illa amitteretur, fecit, *actio de dolo* superest, non, ut res restituatur, sed ad interesse. Sin autem, ALIUD ALIQUOD JUS PERDITUM, adversus eum, cujus dolo amissum, *actio de dolo* datur. Et generaliter, ubicunque, ex pacto, vel ex alio aliquo gesto, damnum aliquis per dolum alterius patitur, si alia actio nulla superest, actionem subsidiariam *de dolo*, largitur *Prætor*.

9. 3. *Ætate minores*, damnum passi, vel ab aliis circumventi, vel sua facilitate decepti, quando, aut quod habuerunt, amiserunt, aut quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserunt, aut se oneri quod non suscipere licuit, obligaverunt, regulariter, nisi merum Jus, aut commune auxilium, ipsis succurrat, *in integrum restituuntur*. Ubi propriâ quidem, actio, vel Cautio, quemadmodum ex superioribus, nulla proficiscitur, sed saltem, unusquisque in integrum Jus suum recipit; & vel *priores actiones amissæ restituuntur*, vel rescissâ alienatione, datur *in rem Judicium*.

10. 4. Qui per *capitis minimam diminutionem* liberati fuerunt, antea obligati, adversus hos creditores *restituuntur, pristina redditâ actione*.

11. 5. Qui propter *absentiam, Reip. vel metus causâ*, aut alio modo, sine propriâ culpâ, damnum patiuntur, sive per absentiam propriam, sive per alterius, damnum passi sint, *restituuntur, acceptâ actione rescissoriâ utili*.

12. 6. *Alienatio rei litigiosæ*, per quam nobis alius adversarius substituitur, *restitutionis ope*, adversus illum qui utile Judicium suscipere paratus non est, *actionem in factum operatur*.

13. 7. *Erroris restitutionem* patientis exemplum est, in eo qui cum pupillo, falso tutore, ignorans contraxit, aut qui Justo errore ductus, *confitendo se obligavit*.

14. Et hæc quatuor, dicuntur OFFICIO JUDICIS expediri, non illo vulgari, ubicunque alix actiones deficiunt (*de quo supr. sect. 8.*) sed tali, quod *Edicto* promittitur. Indeque & hoc, magis

magis ab actione, quam illud, de quo agitur l. d. l. differre conclu-
dendum erit.

SECTIO V.

De Interdictis.

1.

PRæter *Officium Judicis* actio quæ edicto promittitur, est vel in generali saltem significatione talis, vel etiam propriè sic dicta actio; sub generali significatione actionis, etiam *Interdicta* comprehenduntur.

2. *Interdicta* concernunt vel RES UNIVERSALES, vel SINGULARES. UNIVERSALIS res est, HEREDITAS, & BONORUM POSSESSIO, de quâ. *Interdictum quorum bonorum*, adversus possidentes pro herede, vel pro possessore, bonorû possessori competens; Universales præterea res, respiciunt quoque, LEGATA MISSIONES IM POSSESSIONEM, & TESTAMENTI TABULAS; DE LEGATIS, Edicto *Prætor* proposuit, *Interdictum quod legatorum*, adversus eos, qui non ex voluntate heredis, quid detinent, ut heredi restituant. De MISSIS IN POSSESSIONEM, extat *Interdictum, ne vis fiat, ei qui in possessionem missus est.* De TABULIS TESTAMENTI, adversus illum, qui eas possidet, vel possidere desit, *Interdictum datur, de tabulis exhibendis.*

3. SINGULARES res sunt, vel DIVINI, vel HUMANI JURIS. DIVINI JURIS sunt, RES SACRÆ, de quibus, *Interdictum, nequid in loco sacro fiat*, & RELIGIOSÆ, de quibus, specialia duo *Interdicta*, alterum, *de mortuo inferendo* ne inferenti vis fiat, alterum, *de sepulchro in ædificando*, ne ædificanti vis fiat.

4. Res HUMANI JURIS, sunt vel PUBLICÆ, vel PRIVATÆ. PUBLICÆ etiam sunt, LOCI & VIÆ PUBLICÆ, & FLUMINA PUBLICA. De LOCIS & VIIS PUBLICIS, datur generale *Interdictum, Nequid in loco publico, vel itinere fiat*, ubi 1. facienti denegatur actio, vel 2. eidem fit inhibitio, vel 3. factum cogitur restituere. Viam quoque publicam, & iter publicum, possidenti, quo ire agere liceat, per hoc *interdictum*, succurritur. (Possidenti locum publicum, ex causa locationis, speciale *Interdictum, de loco publico fruendo*, præditum est.) eandem refectione, vis fieri prohibetur.

5. De FLUMINIBUS PUBLICIS, *Interdicta* prædita sunt, sequentia 1. ne
statio

statio, & navigium deterioretur, vel deterioratio ut tollatur, id
inhibetur, & Jubetur, per *Interdictum, de fluminibus, ne, quid in flumine*
ripave eius fiat, quo pejus navigetur. 2. ne cursus solitus impedia-
tur, aut impedimentum tollatur, id inhibetur, & Jubetur, per *In-*
terdictum, nequid in flumino publico fiat, quo aliter aqua fluat, atq, uti
priore astate fluxit. 3. ne navigantibus vis fiat, prohibetur, per *Inter-*
dictum, ut in flumine publico navigare liceat. 4. ne ripam munienti, vis
fiat succurritur, per, *Interdictum, de ripa munienda.*

6. RES PRIVATAS, in accommodatione ad *Interdicta*,
quidam ita, distinguere consueverunt ut quædam respiciant,
REM FAMILIAREM, quædam OFFICIUM, quædam JUS
NOSTRUM. RES FAMILIARES sunt, vel IN POSSESSIO-
NE, vel IN QUASI POSSESSIONE. De POSSESSIONE
qui dejecti sunt, iis succurritur, per *Interdictum, Unde vi;* qui in illa
turbantur, iis, *Interdictum uti possidetis,* proditum est. Quod si sal-
tem sint superficiarii, peculiare habent *Interdictum, de superficiebus.*

7. In QUASI POSSESSIONE, sunt SERVITUTES RU-
STICÆ, & Urbanæ. De RUSTICIS triplicia *Interdicta.* 1. de iti-
nere actus, privato, utendo & reficiendo. 2. de aquæ ductu, quod
vel de aqua quotidiana, vel astitiva, vel de ea, quæ ex castello ducenda
est, vel denique de harum rivis. 3. de aquæ haustu, est *Interdictum,*
de fonte, & ne fontis usus impediatur, & ut impedimentum tolla-
tur; De URBANARUM servitutum cloacis, per *Interdictum ca-*
vetur, & ne reficiens impediatur, & ut impedimentum in iis fa-
ctum tollatur. Communia hisce sunt, *Interdicta duo,* de quovis,
quod VI AUT CLAM, AUT PRECARIO factum, & de AR-
BORIBUS. De facto QUOD VI AUT CLAM restituendo, da-
tur *Interdictum, quod vi & clam,* & *Interdictum, de novi operis nunciatio-*
ne, adversus eum, qui ante Remissionem, & Cautionem, facere
perexerit: modo nuncians, nunciare jus habeat, cæterum, nun-
ciatio missa fit, per *Interdictum, de remissionibus.* PRECARIUM,
quod quis habet, aut dolo malo facit, ut desinat habere, restituen-
dum erit, per *Interdictum, de precario.* ARBORES, quæ vel ab adie-
bus tuis in ædes meas, vel ab agro tuo in agrum meum, depen-
dent, adimendæ erunt, per *Interdictum, de arboribus cadendis.* Arbo-
rum fructus, in alienum agrum decedentes, colliguntur, per *Inter-*
dictum, de glande legenda.

OFFI.

8. OFFICIUM communis humanitatis, & causæ libertatis, publicè exigunt, ut ne quis alium injustè detineri invitum patia-
tur; dolo malo retinens, eundem exhibere cogitur, per *Interdi-
ctum, de homine libero exhibendo*.

9. JUS NOSTRUM, est in personas LIBERAS, vel SERVOS. LIBE-
RI nostri ab aliis detenti, exhibendi nobis sunt, & facultas, eos du-
cendi danda, per *Interdictum, de liberis exhibendis, item ducendis*.
Simile quoque *Interdictum, de liberto exhibendo* proditum est.
SERVI ducuntur, per *Interdictum, utrubi*, abducuntur vero ab habi-
tatione, per *Interdictum, de migrando*. Pignoris jure pro habitatio-
ne obligatos, persequimur, *Salviano Interdicto*. Quæ tamen tria,
posteriora, etiam ad res quasvis mobiles, extenduntur. Quales, si
per fraudem alienatæ sunt, interveniente scientia comparantis,
repetuntur, *Interdicto fraudatorio*.

10. *Interdicta* hæc, ratione remediorum civilium, tam
vulgarium, quam inusitatorum, REFERUNTUR, AD JUS HONORARIUM,
quod Juricivili opponitur: Quatenus vero, propriè sic dictæ actio-
nes nõ sunt, eatenus, etiam tam civilibus, quàm HONORARIIS ACTIO-
NIBUS, OPPONUNTUR. Et denique, quia Edicto promittuntur, & non
decernendo demum, à Prætore, Jure Magistratus, per officium ju-
dicis, uti vocant, expediuntur, propterea, in relatione officii judi-
cis, tanquam remedii extraordinarii, magis propriè dicti, *Interdi-
cta* hæc JUS ORDINARIUM APPELLARI possunt.

SECTIO VI.

De actionibus Prætoris no- minatis.

I.

Actiones propriè sic dictæ, quæ in Prætorum Edictis propo-
nuntur, ad imitationem civilium, vel CERTUM aliquod, &
speciale NOMEN HABENT, vel IN NUDUM FACTUM CONCEPTÆ SUNT.
Actiones Prætoris, NOMEN HABENTES, sive ex naturâ, sive impositio-
ne Auctorum, vel aliorum, instar civilium sunt, vel IN REM, vel IN
PERSONAM.

D

2. *Actio*



2. *Actiones Prætorie IN REM*, itidem sunt, vel REVERA tales, vel QUE TALES SALTEM VIDENTUR, VERE REALIS, de hereditate, est *Possessoria hereditatis petitio*; de revindicandâ, *Publicana*; de pignore, *Serviana*, Quæ VIDENTUR reales, sunt *Præjudicialis*, quæ competit de libertinitate; & illa, quæ est de partu agnoscendo.

3. *Actiones Prætorie IN PERSONAM*, oriuntur, vel EX NUDO FACTO, vel EX CONTRACTU, vel DELICTO. EX PACTIS sunt, actio de pecuniâ constitutâ, sive constitutoria; & de operis, quas Patronis, promiserunt liberti actio *operarum*.

4. EX CONTRACTU VERO, ET NOSTRO, est actio Prætoria *depositi* in 4. casibus scilicet, ubi tumultus, incendij, ruinæ, naufragij causâ depositum quid est; item actio *redhibitoria*, ad reddendam rem, cujus vitium celatum fuit: Quod si dictum, adesse quid, vel abesse, quod tamen absit, vel adsit, oritur inde *adversus dictum promissumve actio*. Et denique, *Quanti minoris*, vel *Æstimatoria*, in hoc, ut quanti plaris emisset emptor, ignorans rei qualitatem, id venditor, etiam ignorans, damnetur ei reddere.

5. EX CONTRACTU ALIORUM, qui tamen in potestate nostra sunt, sive sint servi, sive filii familias, descendunt *actiones Quod Jussu*, si cum hisce, Jussu Domini, vel Patris, gestum quid erit; *Exercitoria*, quando iidem, ab iisdem, negotiationi navali, *Institoria*, quando iidem, ab iisdem, terrestri negotiationi præpositi sunt. *Tributoria*, quando iisdem, peculiaris negotiatio concessa. De *in rem verso*, si quid ex negotio, in rem Domini, vel Parentis versum. Et denique, *de peculio*, vel in casibus superioribus omnibus, vel si illi deficient, quatenus est in peculio contrahentium.

6. EX QUASI CONTRACTU, est *Actio Negotiorum gestorum*, quando absentis negotia, ejusdem contemplatione, gessimus. *Funeraria*, de eo quod in funus impendimus; & *Protutela*, de eo, quod quis pro tutore, cum tutor non esset, gessit. Quibus etiam addi fortè poterunt, actiones revocatorie, *Pauliana*, quâ à fraudis consciis, repetuntur, alienata in fraudem creditorum. *Faviana*, quâ revocantur, alienata à liberto, in fraudem Patroni, mortis causâ. *Calvisiana*, quâ revocantur alienata à Liberto, in fraudem Patroni, inter vivos, & *Actio in grati*, per quam revocatur libertas, ab ingratitude manumissi,

DELIN-

7. DELINQUIMUS nos, vel OCCASIONE CONTRACTUUM, vel MALEFICIA PROPRIA, & nominata committentes. In CONTRACTIBUS, conspicitur METUS & DOLUS, Inde, actio quod metus causa, hinc, actio de dolo, vide supr. sect. 4. th. 7. & 8

8. PROPRIA, & nominata maleficia, sunt FURTUM, unde actio furti prætoris, adversus nautas; RAPINA, Unde vi bonorum raptorum actio. INJURIA, unde actio Injuriarum, de injuriâ aliquâ, quæ non coercetur, per Legem Corneliam, item sepulchri violati actio, & via rejecta, & servi corrupti.

9. Hæc propterea certum nomen habere videntur, quia ad imitationem Juriscivilium remediorum ordinariorum, ferè de certo aliquo negotio sunt, seu factio. Reliqua, quæ de negotiis, ac factis, sunt incertis, vel non receptis saltam à Prætore ad hoc, ut nominatam aliquam actionem producant, & vero, nihilominus de illis actio in Edicto promittitur, illa communiter actiones in factum Prætoris (perinde ferè, ut actiones civiles præscriptis verbis,) in jure nostro appellari consueverunt.

SECTIO VII.

De actionibus in factum, ex Edicto Prætoris, proficiscentibus.

I.

Hujusmodi Actiones in factum Prætoris, ex Edicto Prætoris descendentes, vix commodiore methodo, recenseri poterunt, quàm ex ordine, in Edicto perpetuo, à Prætore servato. Hunc, ad triplicem JUDICIORUM divisionem, se accommodare, communiter asseritur. Ita, ut quædam Edicta, PERSONAS JUDICANTES respiciant; quædam, REM IN JUDICIUM DUCTAM, quædam vero, POTESTATEM, REM IN JUDICIUM DEDUCENDI.

2. De PERSONIS JUDICANDITUS attendendum, & QUOMODO JURISDICTIONEM SUAM DEFENDANT, & QUOMODO CORAM HIS PROCEDATUR triplici Edicto, 1. de albo corrupto, adversus eum, qui album Prætoris, perpetuæ Jurisdictionis causa propositum, dolo malo corrumpit, ut penam,

D. 2

quin-

quingenta aureorum luat. 2. de eo, quod quisq; juris in alium statuerit, sive quod jus in alium impetraverit, ut ipse eodem jure utatur. 3. de eo, qui jus dicenti non obtemperaverit. PROCESSUS INCIPIT I. ab in jus vocatione, unde *Edictum*, adversus eum, qui vocavit non vocandos. 2. vocati ire coguntur, aut fatisdare, unde *Edictum*, contra eos, qui nolunt conjunctam personam, pro reo, accipere fidejussorem iudicio sistendi causâ datum. 3. euntes non sunt vi eximendi, propter *Edictum*, ne quis eum, qui in jus vocatus, vi eximat. 4. neque vocati impediendi, unde *Edictum*, de eo, per quem factam, quo minus quis in iudicio sistat. 5. Apparente reo, actor cogitur edere; Quod si rationibus argentariorum quis indigeat, edere illas illi coguntur, vi *Edicti*, de edendo. 6. Omnes vero litigantes, debent abstinere à calumniâ, unde *Edictum*, de calumniatoribus, adversus illum, cui pecunia data est, ut faciat vel non faciat alicui negotium per calumniam. 7. Neque cuiquam convenit, duriores adversarium substituere, propter *Edictum*, de alienatione iudicij mutandi causâ factâ.

3. EX RE IN IUDICIUM DEDUCTÂ, *Edicta* sunt, vel PERSONALIA, vel POSSESSORIA. PERSONALIA sunt, vel ex DELICTO, vel ex CONTRACTU, vel ex PRÆJUDICIO. DELICTA sunt, vel QUASI DELICTA, vel VERA DELICTA. QUASI DELICTA sunt, 1. in nautis, qui tenentur de recepto, per *Edictum*, *Nautæ cauponæ stabularij*, ut recepta restituant. 2. in his qui effuderint, vel dejecerint. 3. in his qui posuerint, vel suspenderit, quo vulgo iter fieri solet. Ad VERA DELICTA, referre poterit 1. vis coactiva ad aleæ lusum, unde *Edictum* duplex, & adversus illum, qui ad lusum cogit, & quod parenti, vel domino competit ejus, qui victus est. 2. si mensor, dolo malo, falsum modum dixerit. 3. si aliquis, in fundo alterius, eo invito, mortuum sepeliverit; vel quem, qui jus habet, mortuum inferre, vel sepulchrum in ædificare, prohibuerit.

4. CONTRACTUS, sunt vel VERI, vel QUASI unde occasione VERI CONTRACTUS, QUI RE PERFICITUR, scilicet MUTUI, quia illi, ut plurimum JUS JURANDUM accedere solet, *Edictum*, de *Jurejurando*, competens ei, qui juravit, absque addita causâ: QUI CONSENSU PERFICITUR, scil. EMPTIONIS VENDITIONIS, *Edictum* *Ædilitium*, adversus eum, qui redhibitione, ab alterâ parte factâ, nihilominus cessat: vel

vel qui animal, vel aliud nocivum emptum, habet in loco publico. EX QUASI CONTRACTU, inter mulierem & HEREDEM, *Edicta* duo, 1. de eo, quando ventris nomine muliere in possessionem missa, eadem possessio, dolo malo, ad alium translata, esse dicitur. 2. de eo, quando mulier, ventris nomine, in possessionem, calumniae causa, esse dicitur: Occasione TUTELAE, *Edicitur*, de eo, quod falso tutore auctore, gestum esse dicitur: Ob ADITAM HEREDITATEM, si quis omisa causa testamenti, ab intestato, vel alio modo, possideat hereditatem; vel, si quis tabulas testamenti aperiat, & describat, dolo malo, sciens, antequam de occiso testatore, quaestio habita: propter VICINITATEM, *Edicitur*, adversus eum, qui non cavet, de damno infecto, neque in possessione, quem esse, patitur. De INDEBITO, tenentur Publicani, vel, si ipsi ultra debitum exigant, vel, si familia illorum furtum faciat.

5. Ob PRÆJUDICIUM, *Edicto*, de liberali causa experimur, adversus eum, qui dolo malo se venundari passus est.

6. Occasione POSSESSIONUM, *Edicta* sunt quadruplicia, 1. inter possidentem, & eum cujus res possidetur, de fructibus & impensis. 2. adversus illum, qui non attentam datam possessionem, res alienari prohibitas, sibi comparavit. 3. quando ei, qui in possessionem missus est, creatur molestia. 4. adversus eum, qui vi de possessione dejicit, in id, quod post annum, ad eum pervenit.

7. EX POTESTATE, REM IN JUDICIUM DEDUCENDI, JUDICIA, alia sunt PRIVATA, alia PUBLICA; PRIVATA, sunt ex FURTO, unde *Edictum*, de eo si is qui testamento liber esse iussus erit, post mortem Domini, ante aditam hereditatem, surripuisse, aut corrupisse, quid dicetur; ex DAMNO, unde *Edictum*, si id in turbam datum sit; ex RAPINÂ, unde *Edictum*, adversus illum, qui rapit aliquid, ex incendio, ruinâ, naufragio, rate, nave expugnatâ. PUBLICA, ex lege proficiscuntur publicorum judiciorum, neque hujus sunt ioci, vel illa tangere, nostri instituti.

8. Ex his *Edictis*, semper actiones in factum praeatorias dari, credendum est. (vid. *supr. th. fin. sect. prac.*) Quemadmodum enim, quando lege aliqua novâ, actio producitur, neque nomen additur, conditione ex lege, experimur; ita, quando Praetor, in *Edicto* suo, actionem promittit, neque nomen addit, inde actionem in factum Praetoriam descendere, inductio exemplorum, & collatio textuum, probare potest.

9. Visis jam, ex Prætoris extraordinariis, illis, quæ Edicto sunt promissa videlicet, Cautionibus, Missionibus in possessionem, Bonorum possessionibus, Restitutionibus in integrum, (de quib. supr. section. 4.) item Interdictis, (de quib. supr. section. 5.) & Actionibus Prætoris, in specie sic dictis, tam nominatis, (vid. sect. precedent per tot.) quam innominatis, restat, ut jam quoque tangatur, quomodo decernendo procedat Prætor.

SECTIO VIII.

De officio Judicis, quod extra Edicti promissionem decernendo Prætor exsequitur.

I.

DECERNIT Prætor dum in defectum actionum civilium, & ubi neque in Edicto promisit aliquid, in Jure dicundo, tantum JURE MAGISTRATUS procedit, Ubi, ratione cessantium remediorum civilium, cessante etiam vel non attento Edicto suo, per excellentiam veluti dicitur *extraordinarie* procedere, vel *ex mero suo officio*, Unde, hujus decreta omnia, ad officium Prætoris, vel cujusvis Judicis Superioris, referuntur; & aliquando, absolutè, ad *Officium Judicis* pertinere dicuntur, non inferioris, quia ejus officium tantum actioni, vel civili, vel Prætoris, à superiore data, inservit; sed superioris, qui *extraordinem*, loco dandæ actionis, officium suum impertitur.

2. *Officium hoc judicis*, exemplis aliquibus illustraturi, vix, certa in methodo, illa comprehendere poterimus. Nisi fortè dixerimus, quod Prætor, officium suum impertitur, vel **REQUISITUS**, vel **ULTRO**, **REQUISITUS**, rursus, vel **DELICTA COERCEAT**, vel **INECESSITATIS SUCCURRAT**, **DELICTA** rursus, sunt vel **FUTURA**, vel **PRÆSENTIA**.

3. De **FUTURIS DELICTIS**, Prætor prospicit; ut caveat maritus manumittens servum uxoris, restitutum se, quicquid ad eum, ex bonis liberti, vel ex obligatione pervenisset; item, in præstanda cautione, de non offendendo.

4. **PRÆSENTIA DELICTA**, fiunt vel **OMITTENDO**, vel

vel **COMMITTENDO**. **OMITTENDO**, delinquentes *Prator* cogit; ut præstentur alimenta parentibus; ut salaria solvantur Professoribus; ut adeatur hereditas; ut sententiæ pareatur; ut filiof. de hereditate agere volenti, Pater consentiat; ut diffamans, diffamationem persequatur; ut in Jus vocatus, eat; ut Pater, post legatum conditionale receptum, filium emancipet; ut debitores latitantes revertantur, ni malint, bona vendi; ut mater dotet filiam; ut Advocati, patrocinium præstent; ut exhibeatur servus, ob quem alias amitteretur hereditas; ut agnoscantur liberi, & alantur; ut pollicentes, stent promissis; ut Fideicommissario, exhibeantur actiones, à creditoribus hereditariis; ut præstentur proxenetica.

5. **COMMITTENDO** delinquentes, *Prator* corrigit, veluti filium, deficientem à Patre; filium, se talem negantem; minores, delinquentes gravius; Dominos, à colonis ultra debitum exigentes; colonos, nos solventes redditus; Medicum, qui restituendæ sanitatis causa, quid extorsit; negantem, se possidere; eum, qui in re communi, novum opus fecit; turbantem, illum, qui fideicommissi servandi causa, in bona missus est; committentem; quid, ex quinque casibus, l. 2. ff. de ver. & extraord. cognit; item eum, qui causæ continentiam dividit; vel creditorem, ut perpetuum silentium habeat; vel postulantem contra edictum suum; incolam, se talem negantem; Decurionem, negantem se eligi potuisse; vocantes ad officia, illos, qui sunt in habiles; item, inofficiosas donationes; inofficiosas dotes; multitudinem testium; administratores civitatum delinquentes, &c.

6. **NECESSITATI**, ac **UTILITATI**, subvenit *Prator*, quando in rebus gerendis, majoris ponderis causa, suam auctoritatem interponit; videlicet, in testamentis aperiendis, inspiciendis, ac describendis; in Bonorum separatione; collatione; in conventionione fisci creditoris, debitores debitoris sui convenientis; dando curatorem, bonis debitoris; dando potestatem dominis, perquirendi servos fugitivos, in alienis ædibus; æstimando, ubi pupillus debeat educari; item, quam adhibet in bonorum cessione; cognoscendo, de quærela inofficiosi testamenti, vel, de damno dato, interim dum de damno infecto caveri peteretur, vel, de

damno

damno dato, ibi, ubi *cautio damni infecti*, locum non habet; mutando procuratorem; concedendo torturam; constituendo domum, in quâ mulier pariat, & aliquem, apud quem partus educetur; rescindendo, ambitiosa Decurionum decreta; cognoscendo, de bonis vacantibus; in revocatione ejus, quod in præjudicium fisci, alienatum est; in petitione ejus, quod pro debitoribus fisci, solutum est; in transactione alimentorum; in liberatione fidejussoris, si principalis dilapidare incipiat; dando, deliberandi tempus; in solvendis debitis, etiam si instrumenta sint omissa; cognoscendo, de operibus publicis, vel de via publica urbana; item, ubi divortio facto, liberi debeant educari; item, quando res alternativè relicta, ut potior sit is, cui relicta est; item, de re, quæ in nostro mansit dominio, non tamen potestate; in rescindendâ distractione pignorum; in Interdicendo prodigo bonis; dando curatore furioso. & similibus.

7. Ultrò, *Prætor* succurrit, vel in casib. *NECESSITATIS*, vel in *DELICTIS*. Ob *NECESSITATÉ*, indulget *Advocatos*, partib. litigantibus; curat, ut in urbe, munda sint omnia; ne quid, cōtra longâ cōsuetudinem, fiat; vel litigiosam possessionem, deponit apud *Sequestrem*.

8. In *DELICTIS*, dum cohibet, blasphemiam; malitiam fallentium navigantes; furiosos.

9. *DELICTA* V *PROPRÏE SIC DICTA*, quando extraordinem, criminaliter puniuntur, propterea, huc referre supersedemus, quia nostri instituti est, tantum, privatorum, non *publicorum* etiam *judiciorum*, recensere divisiones. Quemadmodū etiam, illa exempla, quæ versantur in cognoscendo tempore, terminis judicialibus, ætate divitiis, paupertate, miserâ, Nobilitate, honestate, personis egregiis, vulgaribus, causâ magnâ, vel levi, sterilitate gravi, casu insolito. Videntur n. hæc omnia, potius *actionibus inservire*, quam propriam, ad hoc, officii judicis implorationem, desiderare.

10. Hactenus igitur, de *primis duabus speciebus, extraordinariorum* remediorum; tam illorum, quæ ita dicuntur, in relatione Jurisc. ad Juscivile, quam talium, quæ in relatione juris *Prætorii*, ad Juscivile, *extraordinaria* appellantur. Sequuntur, *tertij generis* remedia *extraordinaria* hujusmodi, quæ ex solâ æquitate, deficiente jure utroque, & *Civili*, & *Prætorio*, ex variis causarum figuris, *introducæ sunt*, & dicuntur *utiles*. SE-

SECTIO IX.
*De utilibus actionibus, tam civilibus,
quam pratoriis.*

I.

HArum, *utilium actionum*, quædam dantur, ex CAUSIS GENERALIBUS, quædam ex SPECIALIBUS. Illæ rursus, vel MAGISTRATUS INTERVENTUM desiderant, vel ABSQVE ILLO largiuntur nobis.

2. A MAGISTRATU, *utiles actiones* proficiuntur, 1. mediante *Bonorum possessione*. Exemplum est, in eo, cui fidei commissaria libertas data, & bona addicta, qui pro bonorum possessore, habetur; item in eo, qui ex *Carbon. Edicto*, possidere iussus est. 2. mediante *restitutione in integrum*, exemplum est, in vindicatione utili, quæ competit, metum passo, post rescissionem; in utili in factum, quæ post restitutionem in integrum, datur, pro revocandis alienatis, in fraudem creditorum: Huc quoque, refertur fortè poterunt, restitutoria actiones. 3. mediante *Judicis arbitrio*, alio loco, quam ubi permissum est, permittentis solvere. Exempla sunt; in utili, seu arbitraria, de pecuniâ constitutâ; conditione, ex mutuo; actione, ex stipulatu; actione, ex testamento.

3. ABSQVE MAGISTRATUS INTERVENTU, *utiles actiones*, sunt vel EX FACTO NOSTRO, vel EX FACTO ALIENO. EX NOSTRO FACTO, sunt illæ, quæ dantur, 1. Post *juramentum*, si juratum est, adjectâ causâ, 2. Post *responsionem*, in jure, 3. Post *confessionem*, fortè si quis, confessus se tutorem: vel damnum dedisse.

4. FACTUM ALIENUM, quod *actiones utiles* in genere quascunque operatur; est, vel LEGIS, vel HOMINIS. LEX, hic PERFICTIONEM operatur, cum vel nos DOMINOS, vel CONTRAXISSE, vel ALIOS ESSE, QVAM SUMUS, utilitatis causâ, fingere non gravatur. A LEGE, qui DOMINI FINGIMUR, ad effectum agendi, pro dominis habemur, tam in realibus, quam personalibus, Exempla sunt, in *vindicatione utili*, competente Emphyteutæ, Superficiario, Marito; item in *judicio communi dividendo utili*, iisdem personis competente. Ad hanc fictionem, et-

E

jam

iam analogicè, sequestrum referri poterit. CONTRAXISSE, per legem FINGUNTUR, illi, in quos, ex aliorum contractu, per *cessionem legalem*, actio transmittitur; veluti: 1. quando *Municipibus*, *pupillo*, vel *furioso*, vel *adolescenti*, quid contrahitur: aut illorum nomine, fortè, quando quid constitutum; vel de illarum re, utpote, si de pecuniâ illorum, quid emptum, vel illa mutuo data. Idem etiam, ad *Militis* pecuniam, porrigitur. 2. quando alieno nomine, caveri nobis curamus, *Prætoriam stipulatione*; fortè rem pupilli salvam fore, judicatum solvi, aut de damno infesto. 3. quando quis sibi, aut post mortem suam, *heredi* ab intestato, stipulatur. 4. quando in *ministerio* nostro existentes, nobis contrahunt; vel constituendo, vel deponendo, vel emendo idque ad instar *utilis institutoria*. CONTRAXISSE etiam, illi videntur, quibus res ipsa, per fictionem legalem, contractum inducit; ut, quando patri, datur *actio ex stipulatu*, pro dote filii repetendâ: item, quando arrogato, competit *utilis ex stipulatu actio*, adversus arrogatorem, etiam si, nulla præstita fuerit Cautio. ALIOS NOS FINGIT lex, quam QVALES SUMUS, dum, nos filios, instar Patrum familias, agere permittit. Sive Condiçione, sive noxali actione, sive reliquis; dum nos *Magistratus*, qui idoneè caveri non curavimus, quasi tutores effemus, conveniendos introduxit.

5. *EX FACTO ALIENO HOMINIS*, *utiles actiones*, in nos transferuntur, per *CESSIONEM*; Quæ fit, vel *CUM UNIVERSITATE* quâdam, vel *ABSQUE UNIVERSITATE*, saltem *CESSIONE SIMPLICI*. *CESSIO CUM UNIVERSITATE*, fit, quando *ex causâ fideicommissi*, alicui *restituuntur* hereditas; vel quando hereditas *venditur*. *CESSIO SIMPLEX EST*, quando jus nostrum, ad agendum, alii concedimus, fortè *ex causâ dotis*, *solutionis*, cum nomen in solutam datur, *donationis*, *legati*, *pignoris*, *venditionis*.

6. *utiles actiones*, ex *SPECIALIBUS CAUSIS PROFICISCENTES*, duorum generum, statui possunt; ita, ut unum genus, sit illarum, *QUANDO ÆQVITAS AD JUS CIVILE APPLICATUR*: alterum, illarum, *QUANDO EADEM, PRÆTORIO REMEDIO SUBSERVIT*. Illæ, dicuntur *utiles actiones civiles*; hæ, *utiles Prætorie*. Illæ rursus, dicuntur tales, vel in applicatione æquitatis ad *actiones civiles ordinarias*, seu legis actiones,

nes, vel ad *extraordinarias*, seu actiones præscriptis verbis in-
factum.

7. *Utiles civiles ordinariæ*, sunt vel *noxales*, vel *utiles in spe-
cie sic dictæ*; *Noxales civiles*, sunt, quando ex delicto, quod de jure
civili nominatam actionem producit, Pater, vel Dominus, filii fa-
milias, vel servi nomine, convenitur. Unde *Actiones noxales, furti.*
l. Aquiliæ & de pastu pecoris. Eodem etiam modo, propter quadru-
pedem convenimur, *actione noxali, de pauperie.*

8. *Utiles in specie sic dictas ordinarias*, ad superius prola-
tam (*in sect. 2.*) remediorum civilium enumerationem, applica-
care liceat. Ita, ut quædam sint, in rem, quædam in personam, in
REM, est *utilis rei vindicatio*, ad revocandam rem donatam, ab eo,
qui conditioni non paret; item post sententiam Arbitri, de re,
vindicatæ obnoxia; item pro vindicandâ re donata, si alter
conjugum desinat esse solvendo; item pro vindicandâ re donata
mortis causâ, si pœnitentia superveniat.

9. *IN PERSONAM* similiter quæ sunt, oriuntur, vel ex
CONTRACTU nostro, vel ex *DELICTO*. *CONTRACTUS*, sunt vel
VERI, vel *QVASI* contractus. *VERI* contractus, vel *RE* perficiun-
tur, vel *CONSENSU*. *RE* perficitur *MUTUUM*, quod vel *VERUM*,
unde *utilis conditio*, ex mutuo non subsistente; *Conditio* ex mu-
tuo, competens ei, qui alterius pecuniam, absque mandato ejus,
mutuam dedit. Ex *QVASI MUTUO*, datur *utilis conditio, causa
datâ*, competens heredibus, adversus illum, qui pecuniâ acceptâ,
testatoris voluntati non obtemperat; *utilis conditio sine causâ*, ad
interesse, cum adversus libertatem, cessat restitutio: item, si rem
donatam, alter conjugum transmutaverit; *utilis conditio ex lege*,
competens secundo donatario, adversus eum, qui rem hâc condi-
tione donatam, non vult restituere. *RE* quoque perficitur, *COM-
MODATUM*, unde *utilis commodati*, contra pupillum locupletio-
rem factum: & *PIGNUS*, unde *utilis pignoratitia*, si quis ad refe-
ctionem credens, pensionem pignori accepit, adversus inquilinos,
pro pensione; si quis pignus pignori accepit, datur hæc, adversus
primum creditorem; item quando aliena res, pignori data est,
quæ postea, cœpit esse dantis. *CONSENSU* perficiuntur, *EMPTIO*;
unde *utilis ex empto*, quando quis pignus habet, ex causâ judicati;

E 2

quando res permutata, evicta est. LOCATIO, unde *utilis locati*, si quis id locavit faciendum, quod ipse antea conduxit. SOCIETAS, unde *utilis pro socio*, adversus illum, qui solvit in iudicio de suggrundis. QVASI CONTRACTUS sunt. 1. TUTELÆ, unde *utilis tutelæ actio*, adversus eum, qui omnino non gessit; item competens tutori, adversus contutorem, de communi gesto. 2. REI COMMUNIO, unde *utile communi dividendo iudicium*, de re duobus oppignorata, item quando res desinit esse communis, fuit tamen communis; item post interitum rei communis, de aliis præstationibus; item, de dividendo usufructu, inter duos usufructuarios; Item, quod datur illis, quibus res communis est jure Prætorio. Quo etiam referri poterit, *utile finium regundorum iudicium*. 3. HEREDITATIS COMMUNIO, unde *utilis familiæ heriscundæ actio*, competens successoribus Prætoris; vel, quibus ex constitutione Divi Pii, quarta bonorum pars debetur. 4. ADITIO HEREDITATIS, unde *utilis actio ex testamento*, competens legatariis, quibus aliquid codicillis est relictum.

10. DELICTUM NOSTRUM, est vel FURTUM, unde *utilis rerum amotarum*, soluto matrimonio, de rebus alienis, quorum tamen periculum, ad virum pertinuit, subreptis; item adversus Patrem, filiâ vivâ, ad id, quod ad ipsum, ex rebus amotis, pervenit. 2. vel DAMNUM, unde *utilis Aquiliæ*, competens, quando alio modo, quam corpore, damnum datum est; *utilis aquæ pluvie arcendæ actio*, ut quod semel cepit, id facere pergat; item quæ datur usufructuario adversus usufructuarium. 3. vel INJURIA, unde *utilis injuriarum*, quando minatus quis, & non verberat.

11. *Utilis civilis extraordinariæ actionis præscriptis verbis*, exemplum est, in Transactione completa à tertio.

12. *Utiles Prætorie*, quando æquitas, ad hujusmodi remedia, quæ in *Edicto Prætoris* promittuntur, applicatur, itidem sunt, vel *noxales*, vel *utiles in specie sic dictæ*. *Noxales Prætorie* sunt, quæ dantur ex delicto, quod Prætor, actione aliquâ nominatâ, coercet. Quales sunt, *noxalis de dolo, vi bonorum raptorum, injuriarum, in factum*.

13. *Utiles Prætorie in specie sic dictæ*, sunt, quæ dantur, cessantibus verbis *Edicti*, licet supersit eadem æquitas, promittentis, vel officium suum, vel interdicta, vel actiones nominatas, vel a-

ctiones

tionem in factum. Ad Prætoris officium promissū, datur *utilis in possessionem missio ex Carboniano Edicto*, quando de adoptione ritè factā, controversia est.

14. Ad *interdicta Prætoris*, Edicto promissa, *utilia* quoque dantur, per æquitatis extensionem, vel à PERSONÀ AD PERSONAM, vel à RE AD REM. 1. A PERSONÀ AD PERSONAM, quando ei, qui loco possessoris est constitutus, rei non meræ donatæ, datur *utile interdictum, uti possidetis*: item quando ei, qui viam precario concessit, cum etiam ab alio precario petita sit, conceditur, *utile Interdictum, de itinere actuq; privato*; item, quando ei, qui fundum vendidit, datur *Interdictum, de aqua ductu*. 2. A RE AD REM fit extensio, quando de eo, quod in via publicâ ædificatum, postea pro derelicto habitum, datur *utile Interdictum, ne quid in loco publico*: Quando de flumine non navigabili, experimur *utili Interdicto, de vijs publicis*: quando Publicano, qui in lacu, vel stagno conducto, piscari prohibetur, conceditur *utile Interdictum, ut in flumine publico*; Quando is, qui vel hyeme saltem, solitus fuit aquam ducere, vel æstate quidem, sed non superiore, agit per *utile Interdictum, de aqua aestiva*; Item, quando is, qui non rivum, sed lacū, vel cuniculum reffecturus, experitur, *utili Interdicto, de Rivis*; Aut si radices arborum crescentes, fundamentis ædium noceant, ei succurritur, per *utile Interdictum, de arboribus cedendis*; Aut quando, de rebus alienis, fortè inquilino locatis, vel commodatis, conceditur *Interdictum, de migrando*; Quale etiam, illi datur, qui gratuitam habitationem habuit.

15. Ad *actiones Prætorias nominatas*, in Edicto promissas, itidem quædam specialis accommodatur æquitas, vel per extensionem à PERSONÀ AD PERSONAM, vel à RE AD REM. 1. A PERSONA AD PERSONAM, ut *utilis negotiorum gestorum directa*, datur adversus curatorem, *utilis contraria*, datur curatori; ita *utilis negotiorum gestorum* adversus eum, qui ejus negotia gessit, qui in rebus humanis non est, vel adversus collegam, ac commune gesto; item *utilis Funeraria*, adversus heredem, quando pupillus mandavit funerari. 2. A RE AD REM, veluti, in *utili constitutoria*, adversus eū, qui pure debet, si sub cōditione constituat; in *utili redhibitoria*, de rebus soli, & similibus; in *utili institoria*, cōpetente ei, qui in una probatione deficiens, postea decurrit ad alterā. Itē ei, qui uni negotiationi

saltem præpositus est; *utili de peculio*, ex stipulatione filii, adversus patrem, de morâ Patris; *utili Paulianâ*, adversus legatarios, quibus, etiam ignorantibus, in fraudem aliquid solutum est; in *utili Calvisianâ*, competente filio arrogato, contra recipientem à Patre, alienante in fraudem, partis filio debitæ à jure; in *utili vel quasi Servianâ*, quæ datur de pignoribus, hypothecisve quibusvis.

16. *Ad actiones Prætorias innominatas*, relata æquitas, rursus extensionem parit, vel à PERSONÂ AD PERSONAM, VEL à RE AD REM. 1. A PERSONA AD PERSONAM, veluti, quando *utilis actio*, ex *Edicto de Alienatione judicij mutandi causâ factâ*, in pupillum, vel furiosum datur, cujus tutor vel agnatus, alienavit; item *utilis ex Edicto, de Aleatoribus*, competens victo, adversus Parentes, & Patronos vincentis, ut res victa restituatur; *utilis ex Edicto, si quis omisâ causâ testamenti*, adversus illum, qui possidet, si sine lucro suo, id facit, omittens. 2. à RE AD REM, veluti, *utile Edictum, de suggrundis*, de suspensis, vel dejectis, non in suggrundo, vel protecto; Item, cum quid de nave projicitur; *utilis ex Edicto, de religiosis*, quando non propriè in locum, vel sepulchrum, infertur, sed in arcam lapideam, sepulchro destinatam; *utilis est Edicto, si quis omisâ causâ testamenti*, adversus legatarium, qui, ut fideicommissarium suum defraudaret, causam testamenti omisit; *utilis ex Edicto, damni infecti*, de damno dato, interim dū de Cautione, Prætor deliberat; *utilis in factum, de revocandâ re, in fraudem creditoris impropriè alienatâ*; *utilis ex Edicto, ne vis fiat eis* competens ei, qui in bona heredis, missus est.

17. Aliquando etiam, ipsis *noxalibus* hoc accidit, quod sint *utiles*, idque vel ex GENERALI CAUSÂ; utpote si FILIUSF. velit *noxali judicio* experiri, vel ex SPECIALI; veluti, *de pauperie*, si non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecit.

18. Et ex his, & similibus ferè causis, *utilia remedia* conceduntur, idque tum, si de negotio, vel facto quidem constat, sed tamen, circumstantiæ, ad actionem producendum variant; & in hoc, ab *Actionibus in factum præscriptis verbis*, differre possunt; cum illi dentur de negotio dubio, vel per pacto reformato; Altera differentia hæc esse poterit, quod illæ omnes sint civiles, & actiones

nes principales, hæ tam Civiles, quam Prætoria, & actiones tantum, illis subrogatæ.

SECTIO X.

De manu regiâ.

I.

TAndem, in relatione, adversus priora remedia omnia, *Extraordinarium* illud dicitur, quod in defectu reliquorum omnium, *Manu regiâ*, per *Principem*, expeditur; Utpote, si vel *Prætor*, perperam jus dixerit; vel summa necessitas urgeat; vel quid legibus non sit definitum; vel aliquid nova opera publicâ concernat; vel sit Proconsulis Legato Jurisdictio adimenda; aut si Præses deportandum quem judicat; item si decuriones puniendi gravius; & in casibus similibus; quæ per solum *Principem* expediri possunt.

SECTIO ULT.

De remedium ordinariorum & Extraordinariorum concurrentiâ, ejusq; modis & qualitatibus.

I.

PRæmissa igitur hæc remedium ordinariorum & extraordinariorum delineatione, illorumque, cum exemplis illustratione, jam tandem, concursus illorum tangendus venit. Ubi notandum, quod *actiones*, sive *remedia* omnia, respiciant, PERSONAS, & RES. PERSONÆ sunt ACTOR, & REUS; RES sunt CAUSÂ EX QUÂ AGITUR, & RES IPSA, DE QUÂ AGITUR, h. e. quæ petitur dari, fieri. Atque ita in universum, quatuor erunt, circa quæ *actiones* versantur. 1. AGENS. 2. IS, ADVERSUS QUEM AGITUR. 3. CAUSA, ex quâ agitur, & 4. RES, de quâ agitur.

2. Quotiescunq; igitur, ex his quatuor, manente saltē uno, vel etiam pluribus, actio variatur, variæ illæ, seu *diversæ actiones*, in uno illo, vel pluribus, quod, vel quæ, non mutantur, dicuntur *concurrere*. Id quod, QUINDECIM potissimum MODIS, (quia tot modis, manere ex his quatuor, unum vel plures possunt) accidere, exempla

exempla juris quotidiana, nobis exhibent. Addendo etenim, modo decimo sexto, ubi omnes quatuor mutarentur, unâ cum actione, quia tum, nullum maneret idem, Actio quoque, propterea, nullius respectu, potest dici quod concurrat.

3. *Modi a.* sunt sequentes, 1. si sola manente CAUSA reliqua omnia sunt diversa, veluti, si plures actiones, ex eadem causâ, *diversis*, adversus *diversos*, ad rem *diversam* competunt. 2. Quando manente CAUSâ, & ILLO ADVERSUS QUEM AGITUR, reliqua sunt diversa, utpote, si plures actiones, ex eadem causâ, *diversis*, adversus *eundem*, ad rem *diversam*, competunt. 3. Quando manente CAUSâ, & RE, DE QVA AGITUR, reliqua sunt diversa, scilicet, cum diversa actio, ex eadem causâ, *diversis*, adversus *diversos*, de re eadem, competit. 4. Quando manente CAUSâ, REO, & RE, DE QVA AGITUR, solus actor, & actio variantur; quippe, si diversa actio, ex eadem causâ, *diversis*, adversus *unum*, de re eadem, competit. 5. Quando manentibus OMNIBUS, sola actio, variatur, scilicet, quando diversa actio, ex eadem causâ, *eidem*, adversus *eundem*, de re eadem competit. 6. Quando manentibus CAUSA, ACTORE, & CONVENIENDO, sola actio, & res variantur; quasi, cum diversa actio, ex eadem causâ, *eidem*, adversus *eundem*, de re *diversâ*, competit. 7. Quando manentibus CAUSâ, ACTORE, ac RE, de qua agitur, sola actio, & conveniendus, variantur; tanquam; si plures actiones, ex eadem causâ, *eidem*, adversus *diversos*, de re eadem, competunt. 8. Quando manente CAUSâ, & AGENTE, reliqua variantur, nim. si plures actiones, ex eadem causâ, *eidem*, adversus *diversos*, ad rem *diversam*, competunt. 9. Quando manentibus ACTORE, REO, & RE, de quâ agitur, sola causa, & actio variantur, scil. quando diversa actio, ex *diversâ* causâ, *eidem*, adversus *eundem*, de re eadem, competit. 10. Quando manente AGENTE, & CONVENIENDO, reliqua variantur, utpote, quando diversa actio, ex *diversâ* causâ, *eidem*, adversus *eundem*, de re competit *diversa*. 11. Quando manente AGENTE, & RE DE QVA AGITUR, reliqua variantur, veluti, si diversa actio, ex *diversâ* causâ, *eidem*, adversus *diversos*, de re eadem competit. 12. Quando manente solo ACTORE, reliqua variantur, scil. si diversa actio, ex *diversâ* causâ, *eidem*, adversus *diversos*, de re detur *diversa*. 13. Quando manente CONVENIENDO, & RE, DE QVA AGITUR, reliqua variantur, scil.

sunt, quando diversa actio, ex diversa causa, diversis, adversus eundem, de re eadem competit. 14. Quando solo manente CONVENIENDO, reliqua variantur, nimirum, si diversa actio, ex diversa causa, diversis, adversus eundem, de re diversa, competit. 15. Quando sola manente RE, de qua agitur, reliqua variantur, veluti si plures actiones, ex diversa causa, diversis, adversus diversos, de re eadem competunt.

4. Horum modorum actiones, PROPRISSIME dicuntur concurrere illa, quibus solis variatis, reliqua omnia manent; veluti in modo quinto. PROPRIE, quando una cum actione, unum aliquod variatur, reliquis tribus subsistentibus; quod accidit in modo quarto, sexto, septimo, & nono RECTE, in modis reliquis, ubi res manet eadem; quemadmodum in modo tertio, undecimo, decimo tertio, decimo quinto. NON INCONCINNE, in cæteris in quibus actor manet idem; videlicet in modo octavo, decimo & duodecimo. Vel, ubi causa & reus manent, reliqua variantur; cuius exemplum est in modo secundo. LATISSIME, & IMPROPRIE, ubi vel sola causa, vel solus reus manent; id quod fit, in modo primo, & decimo quarto.

5. Post modos concurrenti, etiam qualitates concurrentiæ, prius tangendæ veniunt, antequam fiat applicatio. Qualitas concurrentiæ, in eo consistit, ut quædam actiones, ita concurrant, ut possint CUMULARI, quædam ita, ut NON POSSINT. Concurrentes, quæ CUMULANTUR, cumulantur, vel ALTERNATIVE, vel CONJUNCTIM. ALTERATIVA actionum cumulatio, est, quando ex alterâ tantum obtinere intendo, CONJUNCTIVA cumulatio, est, quando ex utraque emolumentum spero. Concurrentes, quæ NON possunt CUMULARI, rursus sunt duorum generum, 1. aut nihilominus, licet non in eodem iudicio, & libello, SIMUL TAMEN POSSUNT INTENTARI, & in utroque quis obtinere: aut, alterâ ELECTA, ALTERA EXPIRAT: vel OMNINO, vel saltem QVOAD ID, QVOD EX PRIORE JAM QVIS OBTINUIT. His præsuppositis, singulos percurrere modos tentabimus, notando primum, an ordinaria cum extraordinarijs in illis concurrant, & 2. concurrentium quænam sit qualitas.

6. In modo igitur PRIORE, quin extraordinaria, cum
ordi-

ordinariis, sed non modo *cumulativo*, concurrant, atque ita, ut ex utraque, obtineatur solidum, nihil impedit.

7. In modo SECUNDO, idem obtinet.

8. In TERTIO modo, quoad ordinaria item, vel extraordinaria, nulla fit distinctio, unus tamen, specialiter acturus, regulariter, sine altero, non admittitur.

9. In modo QUARTO, item non habita remediorum distinctio, si unus obtinuit, alter repellitur.

10. In modo QUINTO, notandum, quod in illo, non concurrant, actiones usitatae, cum praescriptis verbis; nisi in *conditione ex lege*; & aliis quibusdam specialiter receptis; concurrant, vero, usitatae, cum actionibus Praetoriis nominatis; item cum Interdictis, nisi, quoad certas personas, facienda sit exceptio. Quemadmodum, haec rursus, cum praescriptis verbis, cum Praetoriis nominatis, & inominatis, itemque reliquis omnibus, quae idem principium, eandem causam, praesupponere valent, concurrere possunt. Omnibus vero hisce cessantibus, tum demum ad restitutionem recurritur; & ne quidem hic, si alia restitutio super est, actio de dolo conceditur. Officium vero iudicis concurrat cum omnibus. In hoc modo solus *electivus concursus* obtinet, indeque, una electa altera expirat omnino.

ii. In modo SEXTO, concurrere possunt omnes, sed cum hac adhibitâ distinctio, si res quae desiderantur, in effectu quoque sint diversae. Quod si vero, per consequentiam idem intendatur, ibi generales, & multo minus recissoriae, non dantur, nisi in subsidium reliquorum, ad exemplum modi superioris. Quod si omnes sint REI PERSECUTORIAE, una non tollit alteram. 2. Si omnes POENAE PERSECUTORIAE, & poenae aequales una tollit alteram; si poenae inaequales, qui levioe egit, habet regressum ad gravioe; gravioe v. initio intentata, expirat mitioe. 3. Quod si omnes sint MIXTAE, durioe prius intentata, tollit mitioe; mitioe non contra durioe; nisi quoad id, de quo jam actum. 4. Si altera sit REI PERSECUTORIA, altera poena, una non tollit alteram. 5. Si altera sit REI PERSECUTORIA, altera MIXTA; mixta prius intentata, rei persecutoriam consumit; rei persecutoria mixtae praedudicium facit, quoad rem, non quoad poenam.

pœnam. 8. Si altera sit POENÆ PERSECUTORIA, altera MIXTA, ibi, quo ad rem, nullum fit præjudicium, quoad pœnam, attenditur quid magis sit in alterâ.

12. In modo SEPTIMO, itidem ad rescissoriam *non recurritur*, nisi propter conditionem adversarii, ordinaria futura sit infructuosa. Una vero *tollit* alteram, nisi alterâ quis integrum potuerit consequi.

13. In modo OCTAVO, ordinaria cum extraordinariis *concurrere*, nihil impedit: possuntq; simul, sed diverso libello, intentari, ad obtinendum utrumque.

14. In hoc NONO modo, generalia & rescissoria *non dantur*, nisi cum deficiat specialis, vel ordinaria. Unde est, quod ne quidem in hoc modo, actio de dolo detur, si restitutio supersit. Quod si causæ sunt pares, altera alteram tollet; si impares generalis tollit specialem, non contra. Quod si de causa dubitetur, specialem, cum generali, possumus, in *eodem libello cumulare* alternativè, cum protestatione.

15. In modo DECIMO, sine distinctione *possunt concurrere* ordinaria cum extraordinariis, possuntque, si ejusdem sunt nominis, *in eodem libello proponi*, & in utraque obtineri, si diversi sint nominis, *diverso quidem libello* debent proponi, sed tamen simul possunt intentari, & ex utraque obtineri, nisi rei diversitas, (scil. in iis, ubi majus includit minus) per consequentiam fiat eadem. Quoad pœnales tamen, repetendis illis, quæ dicta sunt supr. in modo sexto.

16. In modo UNDECIMO, subsidiaria *non datur*, nisi altera sit invalida, hoc est, durante actione, adversus principalem, ad subsidiariam, non recurritur, & qui per unam habet rem salvam, ei non datur regressus, ad aliam.

17. In modo DUODECIMO, ordinaria, cum quibusvis extraordinariis, *potest concurrere* ac una alteri nullum creat præjudicium.

18. In modo DECIMO TERTIO, locum habet extraordinariorum *concurfus*, & jus præventionis.

19. In modo DECIMO QUARTO, extraordinariis, & ordinariis concurrentibus, nulla alteri præjudicat.

20. In modo DECIMO QUINTO, rejectis rescissoriis usque ad casum necessitatis, unius solutio liberat alterum.

21. Ex hac ergo prolixiore exemplorum inductione liceat nobis tandem concludere, ad pr. l. 16. ff. de minoribus, cum assertionem hac bina. 1. Quod regulariter, ubi idem actor, & res omnino, etiam per consequentiam, non, sit diversa, ibi EXTRAORDINARIA RESCISSORIA, & alia SUBSIDIARIA, non habeant locum præterquam in defectu aliorum, sive ORDINARIORUM, sive PRINCIPALIUM. multoque minus, si IPSUM JUS succurrat nobis. 2. Quod regulariter, ubi diversus actor, superiora remedia locum habeant; nisi reliquis omnibus etiam diversis, sola tamen res, maneat eadem.

22. Quæ tanta qua fieri potuit brevitate delineasse potius, ac tentasse quam statuisse quid sufficiat. Cujusvis cogitationes meliores, & modestas correctiones (insolita enim aggrediens quod in omnibus rem acu tangere possit quis asseveraret?) obsequiosè non recusando. Sed potius (Rationibus singulorum, partim si postulabuntur in collatione, producendis; partim cujusvis sagacioris spiritus indagini relinquendis) præsentia hæc nostra, judicantius trutinantem hisce interim valere, & favere jubendo.

Corollaria.

1. Nunquid hæretici sint comburendi?
2. Modi puniendi utrum sint naturales vel civiles, h. e. utrum sint morales vel forenses?
3. Usuræ per leges civiles licitæ, num in foro conscientie possint defendi?

S U O

Dn. ERNESTO JETTEBROCCIO

Candidato Juris meritissimo.

Q Vos, ERNESTE, meo suavisu prensabis honores,


Hos digno tribui testor utraq; manu.

Magnificus Themidos testatur idemq; Senatus

Hæc benè quò cedant crena animoq; precor.

Joh. Gerhard. D.





ULB Halle

3


006 608 973



Mus R+M

VDT







RURALIS 1621, 2

b. *M* 20

ORUM, CIVILI

NARIA, ET
e horum

ia,
hibens,

Christi,

issimi Jctorum

AN A,

IO

VIRI

ARUMÆI

Facultatis Decani

sac Scabinatus

mi, colendissimi,

dem competentibus

s.

icio

Zettebrock,

D.

1621,

EIDNERL

4.